

Kem

1793

I

G

Kern 1793



DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
LOCIS
IN MELANCHOLIA
AFFECTIS,

QUAM
ADNUENTE ORDINE MEDICORUM
IN
ACADEMIA FRIDERICIANA,
UT
GRADUM DOCTORIS MEDICINAE

CAPESSAT
LEGITIMO MODO,

D. XVII. FEBR. CIOCCXCVII.

PUBLICE DEFENDET

BENEDICTUS HOFRICHTER,
SILESIUS.

HALAE,
TYPIS GRUNERTI, PATR.

DE
LOCIS IN MELANCHOLIA
ADFFECTIS.

INTRODUCTIO.

Vestigia morborum post mortem in cadaveribus obvia quamvis nonnunquam vel nulla sunt, vel nihil prodesse videntur ad enubilandam morborum praegressorum indolem, symptomatumque naturam; summi tamen usus in plerisque morbis inveniuntur ad varia phaenomena status morbos explicanda. Immerito itaque negliguntur, perperamque ita instituuntur, ut obiter tantum partes laesae introspiciantur, eaque animadvertantur phaenomena praeternaturalia, quae insigniter a statu naturali aliena sunt. Quodsi itaque medicus sectionem pathologicam instituit, non nimis sedulo indagare solet partes quaslibet, quae statu

A 2



praeternaturali inveniri possunt, sed per transennas, ut ita dicam, cavitates praecipuas corporis inspicit, ut iudicium de morbo desultorum formare poslit.

2.

Hinc factum est, ut anatomia pathologica eam nondum disciplinam sistat, quae, omnibus numeris absoluta, lucem eximiam pathologiae et ipsi praxi medicae foenerare possit. Observations, quarum non exiguum numerum in medicorum scriptis reperimus, ita sunt comparatae, ut vel parum versentur circa morborum praegressorum indolem, quam obiter tantum explicant, vel male describant statum praeter naturale, post mortem inventum, vel errores complectantur manifestos, dum caussam cum effectu commutent, aut effectum cum causa.

3.

Cuius rei exemplum manifestum sittit in primis copia observationum insignis in melancholicorum cadaveribus institutarum, quae vel omnino sibi contradicunt, vel rationem atque proportionem inter morbi praegressi naturam et vestigia ipsius post mortem obvia non satis explicant. Quin ipse immortalis MORGAGNIUS hoc nomine taxandus esse videtur, cum historias morborum

nullibi fere tam leviter et quasi aliud agens narrat, nullibi ipsa morborum vestigia tam levi penicillo adumbrat, quam in tractatu de melancholia. Multo minorem adhuc laudem **BONETUS** meretur, quippe qui farraginem cuiusvis generis ex auctoribus quibuslibet compilaverit, absque ullo fere iudicio. Eminet autem inter omnes fere **GREDINGIUS**, tum ob sedulitatem indefessam, qua insignem numerum cadaverum secuit et vestigia morbi signavit, tum ob iudicii aciem, qua rationem repertorum in cadaveribus phaenomenorum cum symptomatibus ipsis comparat. Hunc itaque meritissimum virum tanquam ducem in primis sequamur, collaturi cum ipsis observationibus et recentiorum et veterum exempla.

4.

Melancholia, quae a majoribus nostris inter morbos capitis speciales numeratur, vestigia quoque saepe numero in capitis forma, in cerebro et originibus nervorum relinquunt. Hinc itaque principium inquisitionis nostrae faciendum: deinde vero ad alias corporis cavitates transeamus, in quibus vestigia huius morbi indanda sunt.

I. ENCEPHALUS.

A. PARTES CRANII OSSEAE.

5.

Vulgaris maxime est observatio, cranii ossa in melancholicorum cadaveribus multo crassiora esse ossibus sanorum, imo quandoque pollicis dimidii crassitatem aequare.¹⁾ Quae quidem crassities rigiditatem indigitat in hoc morbo maxime obviam, cuius ope partes solidae firmiores evadunt, ipsaeque molliorum partium degenerations in osseam naturam producuntur. Effectus frequentissimus huius crassitiei est impeditus adfluxus et refluxus sanguinis per vasa encephali, turgor itaque ipsorum et sanguinis in encephalo statim. Ipsa ossa syncipitis, tenuiora plerumque ceteris cranii ossibus, tres, quatuor imo quinque lineas crassa inveniuntur. Crassities ossis frontis, praesertim ad utrumque angulum, a tribus ad quinque lineas aequat. Os occipitis ad protuberantiam externam et ad spinam cruciatam linearum quatuor, sex, imo novem crassitatem referebat:²⁾ ut itaque MECKELII observatio minorem crassitiei huius mensuram tantum referat.³⁾

1) GREDINGS vermischtte Schriften, Th. II. S. 83.

2) Ib. S. 282.

3) Mém. de l'acad. de Berlin, ann. 1764. p. 69.

Quae crassities licet ubique fere insignis reperitur, in superficie interna ossium frontis, praesertim ad margines et futuras multo magis eminent. Hinc processus aut protuberantiae praeter naturales versus internas partes exsurgunt, quae vel ad futuram lambdoideam vel ad coronalem longitudinales, ovales aut alias figurae animadvertisuntur. Ad partem squamosam ossis temporalum plures, sex ad septem protuberantias in melancholico taciturno invenit GREDINGIUS. Nonnunquam granula quaedam pisiformia, ab excreto succo osseco coagulata ad internam ossis frontis faciem observantur. Imo ipsa totius cranii superficies calcareae cortice tenuissimo obducta, vel faltem lineae plures calcareae in superficie animadvertisuntur. Has quidem protuberantias nonnunquam spinaeformes observamus, aut tubera glomerulis congesta, quorum exemplum inter alios OSIAN-
DER refert.⁴⁾ Spinae hae ossae nonnunquam in fossis temporalibus repertae sunt, ubi furores maniaci melancholiam excipientes mortem praecesserant. Quod haud quaquam mirum est, si acrem stimulum consideraveris, quem praebere

4) Beobacht. S. 137.

debet acies spinarum, quaque et meninges et cerebrum fortiter irritantur.

7.

Tumores eiusmodi osses et protuberantias spinosas verum ossium morbum supponere et a rigiditate plerumque proficiunt, quae apud melancholicos persaepe obvia est, persuasum habeo. Haec enim obrigescentia partium omnium complectitur etiam ossa, inque iis eum nutritionis errorem producit, ut partes terreae nimis accumulentur, talique modo oriuntur tumores ossei. A naturali ossium incremento minus recte derivare videtur MORGAGNIUS eiusmodi tumores.⁵⁾

8.

Quae ossium crassities non impedit, quomodo variis locis vel tenuia vel etiam pellucida ossa deprehendantur. Quid quod ex hac variarum partium nimia incrassatione aliorum locorum tenuitas immediate sequi videatur. Error enim nutritionis, qui crassas nimis reddit partes osses, defectum nutritionis in aliis partibus producit. Pellucidae partes variarum ossium cranii regionum cum defectu diploës in iisdem locis iunctae

⁵⁾ MORG. ep. XXVII. art. 2, 4.

esse solent, atque vel in ossibus frontis et syncipi-
tis, vel etiam in ipso occipite ad spinae cruciatae
latera observantur. Quae quidem tenuitas ossium
cranii in variis partibus potest omnino etiam expli-
cari ex congestionibus sanguinis versus encepha-
lum, ex turgore vasorum et glandularum *Pacchionianarum*, quibus caussis ossa cranii ab interna
parte comprimuntur atque ita extrorsum protruduntur, ut tenuiora evadant, ipsaque diploë de-
struatur.

9.

Huc pertinent porro foveae et fossulae pro-
fundiores, quae internae cranii faciei a turgidis
vasis et glandulis *Pacchionii* imprimuntur. Fre-
quentissimae hae quidem foveae observantur ad
utrumque latus processus falciformis, ubi pleraque
corpuscula illa lutea, quae a variis auctoribus pro
glandulis habentur, in statu naturali conspicun-
tur. Haec quidem corpuscula, sive glandulae
sint, sive secus, turgida a congestionibus sanguinis
versus encephalum foveas illas imprimere possunt
osibus eadem cingentibus. Quod illi mirum et cre-
ditu difficile haud quaquam videbitur, qui muta-
tionem compagis ossium ab aliis mollibus organis
productam observaverit; vel in osibus extremi-
tatum, a muscularum actione mutatis; vel in in-
signi illa et morboſa osium faciei degeneratione,

quam polypi narium et farcomata producunt.
Nonnunquam etiam in ossibus frontis et occipitis
eiusmodi foveae, licet rariores, apparent, quae
vel a farcomatibus praeternaturalibus vel ab aliis
durae matris tumoribus originem ducunt.

10.

Quodsi futurarum indolem atque structuram
inquisiverimus, quandoque plenarium defectum
earum in craniis melancholicorum observamus.
Nonnunquam loco futurarum denticulatarum ossa
harmoniae ope iuncta animadvertisimus. Quod
quidem phaenomenon a rigiditate partium nimis
aucta et ab errore nutritionis derivandum esse vi-
detur.

11.

Plures praeterea existant casus, ubi futurae
cranii nimis hiscentes atque a se invicem separatae
deprehenduntur: ubi praesertim dolor capitinis
atrocissimus praegressus erat. Quae diaftas fre-
quentissima reperitur in futura sagittali et corona-
li, rarer est in futura lambdoidea et squamosa.
Supponit congestionem praeternaturalem humo-
rum versus encephalum, qua cerebrum ita exten-
ditur, ut ossa cranii a se invicem discedere de-
beant. Hinc cephalalgiae pertinaces fere semper
praecesserunt, quod ex HENRYI observatione

praesertim elucet. Dolor ad inferiorem partem futurae coronalis fixus, adeo exiguum locum occupabat, ut apice digiti locum affectum obtegere potuisses. In atrocissimis doloris insultibus, vesicae forma protuberantia in loco affecto, et arteria ad chordae modum tensa observabatur.⁶⁾ Nonnunquam etiam in apoplecticis hominibus, quorum atroces cephalalgiae brevi ante mortem aneurysmaticas arteriarum dilatationes et varices sinuum encephali indigitare videbantur, diaftas in illam oboriri, MORGAGNIUS iam credidit.⁷⁾ Ab hydrocephalo autem plerumque hunc affectum pendere, seu a congestis in ventriculis cerebri humoribus aquosis, statuit LOEFLERUS.⁸⁾ Quae coacervatio aquae in ventriculis cum melancoliā identidem comitari soleat, ac fatis frequenter post mortem aegrorum inveniatur, ex hoc etiam fonte diaftas illae explicandae veniunt.

12.

Memoratu praecipue digna deinde videtur obliquitas satis conspicua cranii quam quandoque

6) Abhandl. der medicin. Gesellschaft in Lond.
B. I. S. 119.

7) Ep. III. art. 8.

8) RICHTERS chirurg. Bibl. B. XIV. S. 301.

in melancholicorum cadaveribus deprehensam
fuisse legimus, quamque Morgagnius creditit in
variis morbis nervosis, praecipue iis observari,
qui pertinacibus capitis doloribus iuncti fue-
runt.⁹⁾ Obliquitas quidem, quam GREDIN-
GIUS non semel observavit, eiusmodi fuit, ut,
e. g. diameter longitudinalis inter os frontis et
occipitis sex pollices et octo lineas, diameter ve-
ro transversus ab altera aure ad alteram sex poli-
ces et decem lineas, diagonalis porro diameter ab
angulo dextro frontis ad angulum sinistrum occi-
pitis septem, et diagonalis diameter ab angulo
sinistro frontis ad angulum dextrum occipitis se-
ptem pollicem cum dimidio metiretur, ut ita-
que angulus uterque frontis inaequaliter pro-
mineret.¹⁰⁾ Hinc etiam os basilare obliquitatem
participat, sella turcica medianam omnino partem
non servat, sed vel magis dextrorsum vel magis
sinistrorsum vergit. Hinc etiam sinus cavernosi,
sellae turcicae vicini, in qua et sinus ophthalmici,
et sinus petrosi anteriores et sinus Ridelleyani et
vena meningea media effluunt, comprimuntur, ut
sanguis ex ipsis rite progredi ad fossas jugulares
nequeat. Cum etiam fossae occipitales, seu li-

9) Ep. I, art. 14. LXII. 15.

10) GREDING, Th. II. S. 91.

neae cruciatae hanc obliquitatem participare soleant, sinus etiam transversi occipitis, qui in iis iacent, coguntur, ut in finum annularem occipitis sanguinem emittere nequeant.

13.

Huc accessit nunnunquam, partem ossis occipitis, quae marginem dextrum foraminis magni occipitalis praebet, versus anteriora et exteriora, ubi par hypoglossum canales condyloideos transit, magis protruſam apparere, condylos vero ipsos versus interiora et superiora vergere. Unde fit, ut foramen occipitale coarctatum parte alterutra medullam spinalem etiam comprimat, imo cerebellum ipsum ita adſicere debeat, ut animi vires rite exerceri nequeant.

Pluries praeterea processus clinoidei superiora versus elongati et ita acuti observabantur, ut acuum more partes vicinas irritare et stimulare possint: quod sine insigni functionum errore fieri nequit.¹¹⁾

14.

Non rari denique sunt casus, ubi tota cranii compages fracida et morbida, porosa instar punicis, observabatur. Caries enim omnino oriri

11) GREDING, Th. II. S. 89.

poteſt in diploē tam ſpiffa atque fungoſa, quae abſque ceteris ſympotmatibus deſtruit lentiſſime laſinam utramque cranii et ſiccas gangraenae no-men meretur. Haec quoque nullam ſui veſti-gium in meningibus reliquit, quae fanae omnino appa-rebant, variis vero locis oſteomalacia, ſeu excreſcentiae fungoſae cum hoc vitio iunctae erant, quibus compages atque conſtitutio partium variarum cranii pefſumdar debent.

Quae quidem iam enumeratae aberrationes a ſtu naturali, quantum et quam inſigniter poſ-fint functiones pervertere, quantopere praefer-tim capitis dolores, melancholicus animi error, aliaque vitia inde oriuntur, cuivis patebit.

B. M E N I N G E S.

15.

Primum, quod ſenſus incidit, phaenome-non verſatur in turgore vaſorum maxime conſpi-cuo, qui et in dura et in plā matre ita obſervatur ut varicosa aut aneuryſmatica vaſa appareant.¹²⁾ Qui quidem turgor vaſorum in omnibus cerebri partibus plerumque obſervatus eſt, ut etiam atro fanguine infarcta eſſe viderentur. Quin carotides

12) BONET. Sepulcr. lib. I. ſect. 9. p. 245. —

MORG. ep. VIII. art. 4. — GREDING p. 99.

et venae iugulares eam passae esse dilatationem, ut rupturae propinque fuerint, observatum est. Hinc etiam PARRYI methodus, ope compressio-
nis arteriarum sanguinem advehentium insultus melancholiae et aliorum affectuum nervosorum sedandi omnino aliquid conferre potest ad pallian-
dum morbum.¹³⁾ Quem turgorem vasorum piae praelertim meningis MORGAGNIUS credit cauffam epilepsiae cum melancholia iunctae fuisse, quod vero GREDINGII observationibus refellitur, qui ad calami scriptorii amplitudinem distenta obser-
vavit meningum vasa etiam in iis, qui epilepsiam haudquaquam sed solos melancholicos affectus passi fuerant.

16.

Contrarius omnino vasorum status, seu *avari-
mia* et *neurasthenia* in iis observatur, qui morte len-
ta, hectica decesserunt, ubi itaque vel bullae
aëreae quandoque ex discissis cerebri et menin-
gum vasis exsurgunt, vel vasa ipsa lymphatica
referunt, ob defectum sanguinis plenarium.
Quam *avaricia* in aliorum corporis organorum va-
sis non raro etiam deprehendimus.¹⁴⁾

13) Samml. für pract. Aerzte B. XVI. S. 303.

14) Act. med. Berol. Dec. I. Vol. 7. p. 89. sq. —
GREDING S. 298.

Praeterea volumen meningum non raro nimis increscit, ut vel concrescant cum se invicem, cum cranio et cerebro, vel mucosum fistant velamentum, hinc inde variis tuberculis carneis vel fungosis excrescentiis obsitum. **BAGLIVIUS** meningem duram adeo solidam et sicciam invenisse testatur, ut assulam referret: ¹⁵⁾ quod **LITTRIUS**, ¹⁶⁾ **GEOFFROYUS**, ¹⁷⁾ **KAEMMERUS** ¹⁸⁾ et **SWIETENIUS** ¹⁹⁾ confirmant. Concretionem meningum cum cranio et inter se in iis praesertim cadaveribus observamus, ubi foveae illae et fossae obveniunt, de quibus (§. 9.) iam locuti sumus.

Tentorium cerebelli, seu septum encephali, maxime incrassatum et excrescentia carnea obtetum invenit **GREDINGIUS**.

Nonnunquam pia meninx lardacea invenitur et ubique obsita corpusculis hemisphaericis albidis, quae semina finapis aut pisa ipsa magnitu-

15) De fibra motrice c. 5. p. 287.

16) Mém. de l' acad. des scienc. à Paris, Ann. 1705. p. 40.

17) Ib. ann. 1706. p. 662.

18) Disl. de apopspasm. piae matris.

19) Comment. in BOERH. aphorism. §. 1121.

dine referrent. Nonnunquam crustae phlogisticae, qua sanguis pleuriticorum obducitur, similis videbatur. Corpuscula illa, quae a MECKELIO et GREDINGIO tantum non in omnibus melancholicorum cadaveribus reperta fuerunt, congettiones passivas humorum lymphaticorum suppunctionem, quae etiam velamentum mucosum, seu crustam phlogisticae producit, quibus pia meninx obducta invenitur. Haec constantissima fere forma piae meningis in melancholicorum cadaveribus, cum callosis eiusdem membranae indurationibus, aut cum ossificatione praeternaturali utriusque membranae iuncta esse folet.

19.

Offeae insulae rotundae sive angulosae, tum in dura tum in pia meninge ubique obviae, praefertim in processu falciformi conspicuae sunt, quibus motus cerebri cum respiratione alternans et ipse sanguinis circulus per vasa cerebri impediri et perverti debet. Quandoque hae ossificationes spinas fistunt, quae, perforatis meningibus ipsis, cerebrum irritare et vel cephalalgias pertinaces vel maniacos insultus producere valent.²⁰⁾

20) MORG. ep. VIII. n. 1.

Inter utramque meningem serum coagulatum multoties tanta inventum est copia, ut, discissa dura matre, rivuli forma proflueret, aut velamentum fisteret, quo pia meninx undique obducta reperiebatur. Quae serni congestio cum ceteris mutationibus, quae morbo hoc producuntur, intime cohaeret; sequitur enim congestionem humorum versus emcephalum, quam frequentissimam observamus.

C. CEREBRUM IPSUM.

Compages cerebri ipsius variae indolis inventa est, ut mox nimis durum et siccum, imo friabile, iam molle nimis et fracidum ubique reperiri illud, fassi fuerint auctores. Utraque haec sibi contraria assertio dilucidationem uberiorum meretur.

Secundum BONETI observationes, unico casu tantum durissimum et rigidum cerebrum post mortem melancholicorum inventum est.²¹⁾ Ita etiam MORGAGNIUS decies inter undecim casus cerebri compagem nimis duram et rigidam, imo

21) L. c. p. 205.

callosam invenit: ²²⁾ quod cum duritie cerebri in senili corpore comparat, unde animi imbecillitas et infractio, desponsioque hand raro obveniant. Tenax quoque cerebrum in melancholici cadavere invenit PLENCIZIUS: ²³⁾ inferiorem cerebri substantiam callosam Berolinenses. ²⁴⁾ Praesertim MECKELIUS immortalis duritiem cerebri maiorem et siccitatem fere ubique observavit et levitatem insigniorem, quam tum ab anaemia, tum a rigiditate ipsa et contractione partium insigni derivavit. ²⁵⁾

22.

GREDINGIUS vero nonnunquam quidem corticalem substantiam duriorem et rigidiores invenit quam statu naturali, nunquam vero eam duritiem ipsius deprehendit, quam, quod MORGAGNIUS aliique perhibent, cum cocto ovo comparare potueris. Medullarem substantiam cerebri autem toties omnino naturalem observavit, si ad compagem respexeris, quoties molliorem et ita fracidam, ut pultis ad instar, levissimo tactu, difflueret. Ipsum etiam cerebellum, quod

22) Ep. VIII. act. 12 sq.

23) Act. et observ. med. p. 179.

24) Act. medic. Berolin. Dec. II. vol. 3. p. 41.

25) Mém. de l' acad. de Berlin. ann. 1764. p. 69.

et MORGAGNIUS et alii scriptores statu naturali mollius se deprehendisse testantur, laxissimum semper et aquosis partibus plenum invenit. Ita et corpus callosum mollissimum et morbidum fuit, ut longissime a statu naturali recederet. Quae mollities et aquositas pultacea cerebri longe frequentior sequela morbi melancholici esse videtur, quam nimia durities, quam rarius tantum observamus.

23. Nonnunquam moles cerebri adeo coacta atque perversa animadvertebatur, ut hemisphaerium alterum altero fuerit maius, ut gyri et anfractus cerebri in altera parte magis fuerint conspicui, quam in altera, ut ventriculi alterius partis quoque capacitate maiore conspicui fuerint, quam alterius. Ex obliquitate totius cranii, quam supra (§. 12.) tractavimus, hoc iam eluet.

24. Compages cerebri scirrhis quoque et abscessibus nonnunquam destruitur: unde et melancholia et mania, aliique mentis errores iure derivandi esse videntur. Memoratu dignissimum exemplum steatomatis cuiusdam refert ENGELIUS, quod alis minoribus ossis sphenoidei infidebat, et, compresso nervo glossopharyngeo, dysphagiam produxerat

in homine melancholico, qui denique apoplexia correptus erat.²⁶⁾ Ita quoque GREDINGIUS scirrhum durissimum corpori calloso insidentem in cadavere maniaci invenit.²⁷⁾

Abscessus vero cerebri plerumque cum capitibz doloribus, melancholia et epilepsia iuncti sunt, cuius rei exempla apud GREDINGIUM, MECKELLIUM aliasque legimus, quamvis ultimus horum scriptrorum alio loco abscessum cerebri absque ullo morbo praegresso se observasse testetur.²⁸⁾ Hi quidem abscessus insignem saepe partem cerebri destruunt, imo ad ventriculos ipsos prospicunt.

25.

Nonnunquam etiam rupturae vasorum cerebri extravasatum producunt, quod in cavitate ventriculorum congestum apoplexiā promovit, qua multi saltem, ni plerique melancholici decedunt. Ita GREDINGIUS in melancholici cadavere, eiusmodi extravasatum, magnitudine pruni, aliudque versus regionem temporalem, magnitudine nucis iuglandis, invenit. Similem plane observatio-

26) SCHMUCKERS verm. Schriften, Th. I. S. 244.

27) L. c. p. 110.

28) Mémoires de l' acad. de Berlin, ann. 1761. p. 67. sq.

nem refert TREUTLERUS¹, ubi extravasatus in cavitate cerebri, rupturae ope facta, sanguis ad nucis iuglandis magnitudinem grumum effecrat. Inter symptomata quidem melancholia haud enumeratur, sed dolores capitis atrocissimi, auditus, loquela et reminiscentiae defectus, ut et paralyses et convulsiones, quae vero cum aliquin morbum nostrum haud raro comitari soleant, haec symptomata lucem inde omnino accipiunt. ²⁹⁾

26.

Quod ventriculos cerebri spectat, constans fere est observatio, colluviem aquosam eos pati, ut nimis distenti appareant. Ita BONETUS iam et MORGAGNIUS modo claram, limpidam, iam turbidam aquam, vel lymphaticam, vel serosam in ventriculis tanta copia invenerunt, ut SÖMMERRINGII opinio de organo animae aquae inherente maxime hoc phaenomeno refelli videatur, cum imbecillitas animi et desponsio cum insigni aquae copia cohaereant. Ita etiam GREDINGIUS hydropem ventriculorum plerumque invenit, ut vel uncias binas, vel etiam quatuor continerent aquae turbidae aut limpidae, vel sanguine grumo mixtae. Simul quoque tanta faepius adfuit ventricu-

29) TREUTLER auctar. ad helminthol. p. 1.

lorum dilatatio, ut tenuissima portio cerebri septum faceret inter ventriculorum parietes et piam matrem. Ex hoc cerebri hydrope dissolutio et fracida atque laxissima cerebri compages derivanda esse videtur, quam plerumque post mortem melancholicorum observamus.

27.

Plexus choroides bullis lymphaticis, seu hydatibus saepissime obsitus reperitur. Has hydatides a taeniae nova quadam specie, quam albopunctatam vocat, constructas fuisse TREUTLERUS autumat. Ipsa quoque nonnunquam vasa plexus choroidis ad calami scriptorii volumen dilatata apparabant, atque aqua limpida aut turbida repleta.

28.

Foramen porro, cuius ope ventriculi laterales cum ventriculo tertio cohaerent, quod GREDINGIUS praeter naturam observasse autumat, varietas potius naturalis videtur, cum saepissime reperiatur, ubi nullus morbus praegressus fuit. Ventriculus quartus, sicut nimis dilatatus, ita plerumque brevior invenitur, ut transitus colluviae aquosae ex ipso in tubum medullarem spinae dorsi hic quidem haud adsit, qui alioquin omnino observatur. Saepius enim, MORGAGNIO te-

ste, dissecto tubo spinali, aquae copia insignis effluxit, quae manifesto originem a ventriculo quarto traxerat, cuius terminus posterior, seu calamus scriptorius, non, ut solet, caecus fuit, sed abiit in cavitatem medullae spinalis.

29.

Infundibulum, seu exitus anterior ventriculi tertii, plerumque apertum, imo aqua praeter naturam dilatum invenitur: nonnunquam vero hactenus obstructum, ut ne ulla quidem modo transitus ad glandulam pituitariam patuerit. Membrana saepius hunc canalem obserari propria, quae in statu naturali nunquam adest, GREDINIUS testatur.

30.

Glandula pituitaria, quam BONETUS iam colluvie aquosa destructam fere atque laxissimam invenit, alii auctores durissimam, imo cartilagineam aut osseam invenerunt. Haec quidem glandulae moles ibi plerumque observatur, ubi colluvies ferola in ventriculis simul adeat, orta ab impedita vasorum absorbentium functione. Quodsi itaque cum MONROO statuerimus, glandulam hanc systemati lymphatico accensendam esse, explicatio durietieei ipsius haudquaquam difficilis erit.

Glandula pinealis.

51.

Antiquitus iam creditum est, arenulas seu lapillos in glandula pineali obvios ad statum praeternaturalem pertinere, atque praesertim in melancholicorum aut maniacorum cadaveribus reperi. Praeter MECKELIUM ³⁰⁾ MORGAGNIUS ³¹⁾ plerumque lapillos hosce invenit. ANGELI quoque in cerebro hominis, qui post pertinacissimum capitidis dolorem mania furiosa correptus fuerat, lapideam massam loco glandulae pinealis invenit. ³²⁾ In fatui cadavere KINGIUS vedit eiusmodi degenerationem glandulae pinealis in lapideam indolem. ³³⁾ GREDINGIUS inter sexaginta tres melancholicos apud triginta duo lapillos non parvae molis animadvertisit, qui nonnunquam lentis magnitudinem, interdum etiam pisorum habebant. Nihil vero hoc impedit, quominus arenulas minoris molis ad statum naturalem referamus, exemplo SÖMMERRINGII, qui plurimis observatio-

30) L. c. p. 87.

31) Ep. VIII. n. 16.

32) WEIGELS ital. Bibl. B. III. S. 138.

33) LESKE's Auszüge aus den philos. Transact. B. I. S. 268.

nibus eductus glandulam pinealem arenulis refer-
tam in statu fano autumat.³⁴⁾)

Cerebellum.

32.

Primum quidem laminarum concentricarum numerum iusto minorem in cerebello apud fatuos et melancholicos observari, MALACARNIUS auctor est.³⁵⁾ Quae laminae cum ad octingentarum numerum in sanae mentis compotibus reperi-
antur, trecentas tantum in fatuorum cerebellis inven-
nit. Quod praeterea mollius reperiatur statu na-
turali, quod hydrope dilatatus ventriculus quar-
tus, quod extravasatus sanguis, antea iam memi-
nimus.

II. THORAX.

33.

Praeter varia phaenomena, quae magis ac-
cidentalia erant et a laesionibus partium pende-
bant, quorum fracturae aut luxationes costarum
et sterni pertinent; aquosa colluvies plerumque in
cadaveribus melancholicorum reperitur, qua tho-

34) De acervulo cerebri, inter LUDWIGII scri-
ptor. neurol. vol. III.

35) SÖMERRINGS Hirn- und Nervenlehre, §. 65.

racis cavitas praeprimis impleta animadvertisit. Sinistra maxime thoracis cavitas stagnante aqua referta inventa est, ex quo quidem phaenomeno potest quandoque dyspnoea declarari, quae accedere solet ad melancholiam, interdum vero haec colluvies nil est nisi effectus relaxationis universalis, quae totum corpus, macie confectum corripit, quaeque morbum peculiarem praegressum haudquaquam supponit. Quo magis morte subitanea aeger decessit, eo minorem aquae copiam in cavitatibus corporis post mortem delegimus: quo diutius vero morbo confectus fuit, eo maior. Hinc vidit CAMPERUS ³⁶⁾ in iis cadaveribus insignem aquae quantitatem, quae diutius iam exposita fuerant.

54.

Concretiones pulmonum cum pleura huc pertinere plerumque videntur. Sunt enim potius accidentales effectus diurni morbi, quam sequentiae status peculiaris. In dextra thoracis cavitate frequentius observantur, quam in sinistra, nonnunquam quoque cum pericardio, mediastino et ipso diaphragmate haec concretio contigit. Producuntur nonnunquam a congelationibus lymphaticis, quae mortis agonem comitantur, cum et in

36) Samml. für pract. Aerzte, B. XVI, S. 472.

cadaveribus eorum reperiantur, qui maxime variis morbis decesserunt.

35.

Praeterea pulmones nonnunquam admodum flacci, et vel aquosa spumosaque aqua repleti; vel siccii, tenaci lympha aut atro sanguine infarcti reperiebantur. Quae quidem phaenomena imbeditam ante mortem respirationem, eamque suffocationem supponunt, qua aegri extinguebantur. Scirrhosos et ulceribus obsitas pulmones plerumque ibi animadvertis, ubi melancholia iam diu aeger laboravit, et ubi cachexia tandem morbum praegressum melancholicum exceptit.

36.

Quod cordis compagem ac indolem in cadaveribus melancholicorum spectat, BONETUS singularia phaenomena consignavit statum praeter-naturalem huius organi in morbo melancholico complectentia. Concretio cordis cum pericardio: ficitas praeternaturalis et ariditas cordis, ut pyritostis more corrugatum appareret, utque chirurgus sectionem cordis et indagationem vasorum praecipuorum instituere nequirit: coagula sanguinis atri et polypi ex pituita vitrea conflati: haec fuerunt phaenomena, quae omnino ex diuturnitate

morbi praegressi, ex defectu nutritionis et proclivitate humorum ad separationem, quae ultimum vitae punctum sequi solet, declarari possunt. GREDINGIUS concretiones pericardii cum corde saepissime tum in melancholicis, tum in epilepticis et maniacis vidit. Semel quoque ossificatam partem pericardii vidit, ubi diaphragmati vicinum est, quod ossiculum, undique massa cartilaginea cinctum, sursum versus dextram thoracis caveam adscendens, in apicem acutum abibat. Non semel tamen hydrops pericardii, aut colluvies serofa five aquosa in hac cavitate conspecta est, quae mortis agonem tantum fecuta esse videtur, neque explicandis morbi praegressi symptomatibus infervit. Quodsi vero aqua iam vivo aegro stagnaverit in pericardii cavea, cordis superficies ita inde adfici solet, ut undique erodatur, quod in homine vidi GREDINGIUS, qui praeter cachexiam immannem cordis dolorem conquestus fuerat.³⁷⁾)

37.

Confirmantur insuper a GREDINGIO observationes BONETI de flacciditate cordis, cuius compaginem adeo laxam et mollem saepissime inventit, ut convolvi potuerit instar chartae bibulae et

37) L. c. p. 169.

humidae. Effecit vero hanc flacciditatem aquosa in cavea pericardii colluvies, quod aliis locis ³³⁾ MORGAGNIUS quoque testatur. Polypos autem, quos plerumque post mortem melancholicorum in sinibus venosis et auriculis cordis deprehendimus, nonnisi ex longinquitate morbi praegressi explicare possumus, neque quidquam inde ad dilucidanda morbi symptomata elucet. Namque multoties polypi hi post mortem deteguntur, absque ullo peculiari symptomate praegresso, praesertim, si, undique liberi, nullibi parietibus vasorum adhaerent. Quodsi vero firmiter cohaerentes cum vasis reperiuntur, anxietatem, palpitationem cordis, dyspnoeam, lipothymiam, aliaque eiusmodi symptomata producunt, quae apud melancholicos animadvertisimus.

III. ABDOMINIS VISCERA.

58.

Cum inter causas occasioales eae singularem mereantur attentionem, quae in abdominis visceribus latent, nullibi etiam frequentius vennint accusandae, quam in melancholia, cuius nomen ipsum ostendit, ortum morbi a veteribus in

33) Ep. XVIII. 4. 15. — XXVII. 13. 15.

viscerum abdominalium statu, praesertim in syste-
mate bilifero quaeſitum fuſſe. Quae opinio licet
cum ratiocinio nimis ſubtili de fede partium ani-
mae iuncta eſſet, nuperis tamen observationibus
hactenus confirmatur, ut infarctus venæ porta-
rum et bilis crassitiem praebere occaſionem me-
lancholiae gignendae quotidiana fere pateat ex-
perientia. Veteres quidem ſedem animae concu-
pifcentis, ſeu ἐπιθυμίας, in iecore, vicinique par-
tibus quaeſivere, ideoque eliam morbi huius ori-
ginem inde deduxerunt.

39.

Ordine autem progressuri primum in vela-
menta viscerum abdominalium communia inqui-
ramus.

Omentum in homine melancholico, qui ru-
ctibus pertinacibus atque vomitu continuo labo-
raverat, nimis incrassatum et ſcirrhofum appa-
ruit.³⁹⁾ In alio fuit ſcirrhofis tumoribus obſi-
tum, incrassatum, lienis colorem aequavit et to-
tum fere abdomen replevit.⁴⁰⁾ In cadavere fe-
minaе, quae ranas deglutiſſe ſibi imaginabatur,
et cuius idea fixa ſemper circa ranas verſabatur,

39) BONET. p. 227.

40) Ib. p. 239.

omentum scirrhosis tumoribus tribus enormibus deturpatum inveniebatur, qui opinionem illam de ranis excitasse videntur.⁴¹⁾ Alioquin atro pigmento tinctum et tenuissimum observabatur, ut et hydropticis tumoribus dilatatum: praesertim in hominibus, qui cachexiam passi fuerant.

40.

Hepar ipsum vel nimis arce cum peritonaeo, cum diaphragmate, cum stomacho, cum aliis partibus concretum; vel alio modo morbosum inventum est. Margo inferior enim albidus, vel cinereus ad medianam superficie hepatitis partem usque apparuit.⁴²⁾

Magnitudo hepatitis atque moles ita aliena fuit a statu naturali, ut vel nimis contractum, induratum atque scirrhosum, vel nimis magnum atque tumidum esset, utque hoc casu pleraque viscera abdominalia e sede sua protruderit. Cum hac nimia mole plerumque mollissima atque flaccidissima hepatitis compages iuncta est, praesertim dum hydrops abdominis simul adfuit. Praeterea ulcera, erosiones, scirrhosi tumores saepissime in melancholicorum cadaveribus inventi sunt. Ita quoque hydatidibus repletus tumor,

41) Ib. p. 240.

42) GREDING p. 216.

seu abscessus hepatis inventus est in melancholico,
qui maniacos insultus saepius passus fuerat.⁴³⁾ His
itaque observationibus patet, functionem hepatis
alienatam et impeditam fuisse, eoque modo ge-
nuisse anxietatem, ideas fixas et animi despon-
tionem.

41.

Confirmatur haec opinio observationibus in
vesica fellea et bile cystica institutis.

In cadavere hominis, qui mortem sibi ipse,
prae desponsione melancholica, conciverat, nil
fere praeter naturam MARCARDUS invenit, nisi
bilem cysticam praeerubram, cum calculosis gra-
nis atris, qui ex inspissata bile originem duxer-
rant.⁴⁴⁾ GREDINGIUS quoque vesiculam fel-
leam plerumque nimis extensam et turgidam, cal-
culis biliaris saepe adeo repletam invenit, ut pa-
rietes vesicæ undique calculorum superficie ad-
haererent. Bilis cysticae color saepissime atro-
bruneus, nonnunquam vero pallidus, albumini
æqualis. Ultima coloris indoles inertiam bilis
supponit, quae cachexias comitatur. Coheren-
tia bilis cysticae fere semper pultacea, aut albu-
minis instar tenax fuit.

43) GREDING p. 222.

44) MARCARDS medic. Versuche, Th. II. S. 224.

42.

Ventriculus a BONETO scirrhosus et amurcosa materie atra repletus inventus est. Quae quidem vitia maxime pendent ab infarctibus venae portarum, et summam anxietatem praecordiorum, vomitusque continuos atrabilarios produxerunt. Nonnunquam ventriculus adeo contractus observabatur, ut inde appetitus defectum et digestio-
nis plenaria laesio facillime explicare pos-
sis, quae quidem vitia in melancholicis homini-
bus perquam frequentia sunt. Interdum tunicae ventriculi erosae aut inflammatae aut exulceratae inventae sunt, quod tum ex bilis corruptione,
tum etiam ex depravatione succi gastrici, quae morbos eiusmodi chronicos, vel in ultimo vitae termino sequi solet, explicandum esse videtur.

43.

Cum scirrhis omenti pancreatis scirrus quoque eamdem habet originem, atque in hoc morbo defunctis saepe saepius animadvertisit, praesertim in eorum cadaveribus, qui diurna atrophia et cachectico habitu laboraverunt. Ita quoque mesenterium scirrhosis tumoribus vel steatomatibus obsitum, imo calculosis concremen-
tis deturpatum, vasaque eius caseosa materie vel atro sanguine et piceo repleta inveniebantur.

Quod quidem vitium quemadmodum nutritioni obest, ita et mentem humanam ita adficere potest, ut errores pertinacissimi inde oriantur.⁴⁵⁾

44.

Intestina ipsa vel praeter naturam coalita, vel collapsa et coarctata spasmis observabantur. Non nunquam atris et atrorubris maculis conspersa erant, quae tum a corruptione succorum intestinalium, tum ab inflammatione intestinorum symptomatica productae erant. Ubi praeterea scirrhosi tumores pancreatis et mesenterii aderant, et bilis magis incrassata et picea, intestina quoque aterrima et picea materie repleta aut faltem obducta reperiebantur.

Vermes, et praesertim lumbricos in intestinis inventos esse, nil novum est, neque tamen semper caufa tanquam occasionalis sunt considerandi, cum ex pituitosa colluvie intestinorum et ex atrophia mesaraica ad melancholiam saepenumero accendentibus originem trahant.

45.

Lien denique, organum quod bili separandae eo modo inservire videtur, ut sanguinem pa-

45) GREDING p. 352.

ret, qui carbonico principio gravidus bili aptus redditur; lien, ad quem veteres saepissime morbos mentis retulerunt, morbos non raro inventus est. Non solum enim flaccidus ita atque laxus, ut comprimenti digito facilime cederet, et a leví pressione destrueretur compages; sed non nunquam etiam ita tumidus fuit, ut magnam abdominis partem repleret. Interdum quoque scirrhis obsitus et adeo deminutae molis animadvertebatur, ut functioni suae rite inservire nequiverit. Ex hoc fonte bilis quoque inspissatio et vitia totius systematis venae portarum derivanda sunt.

IV. ADSERTA HINC EFFECTA.

1. Melancholia aequa saepius corporis statum praeter naturale, tanquam causam therapeuticae supponit, quam animi dispositionem erroneam.

2. Medicus itaque, qui melancholiae mederi cupit, ad corporis statum p̄e aliis omnibus respicere debet.

3. Saepius melancholia infanabilis eam craniī compaginem supponit, quae a nativitate inde per-

stitit, per se quidem morbum producere nequit, dispositionem tamen continet, quae accendentibus caussis occasionalibus in morbum ipsum transit. Huc obliquitas cranii et ossificationes praeternaturales. (§. 12. sq.)

4. Quae melancholia ab ossium capitum conformatione praeternaturali pendet, hallucinationibus incipit pertinacibus, quas fixae ideae perverfae sequuntur, aut taciturnitas adsidua. Haec medelam omnem frustratur.

5. Qui fixis vexantur imaginationibus de praesentia daemonum, bestiarum etc. in corporis aliqua parte, de iis verisimile est ibi caussam morbi organicam residere. Ita, qui infarctus atrabilarios pertinacissimos abdominis patiebatur, JURYUS, bestiam se in abdomen apocalypseos septem capitibus et decem cornubus praeditam credidit.⁴⁶⁾ Ita, qui scirrho pylori laborabat, ranam adesse in ventriculo arbitrabatur.⁴⁷⁾

6. Quodsi organica cerebri vitia adsunt, haec ita agere videntur ut anomaliam energiae cerebri

46) TISSOT de la santé des gens de lettres, §. 14.
p. 49.

47) BONET. sepuler. observ. 35. p. 236.

producant, qua regularitas functionum impedi-
tur, et ea producitur quarumdam partium intensa
activitas, ut aliarum partium actio pessumdetur,
ut itaque unius tantum rei ideae oriri possint,
aliarum autem supprimi debeat.

7. Melancholici, qui organicos patiuntur
cerebri affectus, decursu morbi epilepsia corri-
piuntur, apoplexia denique decedunt.

T H E S E S.

1. Motus sanguinis non sola fit ope cordis.
 2. Calor animalis non a solis pulmonibus,
sed et ab aliis organis producitur.
 3. Canissa proxima menstruorum est irrita-
bilitas aucta vasorum uteri.
 4. Secretio bilis aucta non caussa sed effe-
ctus febris biliosae est.
 5. Evacuationes tempore criseos potius effe-
ctus et signa, quam caussae solutionis esse
videntur.
 6. Contagia non proximam sed remotam mor-
bi caussam constituunt.
-

T H E S E

1. Monatsbericht über die Wirtschafts- und
Sozialentwicklung von der Zeit der Befreiungskriege
bis zur Jahrtausendwende mit dem Schwerpunkt
auf den sozialen Veränderungen im Bereich der
Arbeitsmarktpolitik und der Sozialversicherung.
2. Ganzheitliche Beurteilung der gesamten
sozialen Entwicklung des Landes Sachsen-Anhalt
seit 1990 bis zum Jahr 2000.
3. Gesellschaftliche und soziale Ziele der
sozialen Politik des Landes Sachsen-Anhalt.
4. Erarbeitung von Vorschlägen für
die zukünftige Entwicklung der sozialen
und wirtschaftlichen Strukturen des Landes Sachsen-Anhalt.
5. Untersuchung der sozialen und
ökonomischen Probleme des Landes Sachsen-Anhalt
im internationalen Vergleich.

WBR

PICA

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

D E

L O C I S
IN MELANCHOLIA
A D F E C T I S ,

Q U A M

ADNIENTE ORDINE MEDICORUM

GRAD

D.

BEN

